

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XXX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

ad mortem: tum ab ejusmodi genere disputationum facile sibi deinceps temperatum. Unde factum, ut pii, deq; Ecclesia optimè meriti fratris purgationem admiserit non Toffanus solum, sed Princeps etiam Georgius, Comes à Wirtemberg, cum consiliariis: & Schradinus noster. Quo nomine etiam praefectus Montpelgardensis, Joh. Höcklin, vir singulari pietate, Zeloq; Dei insignis, rei historiam mihi de industria voluit explicare. Et Principis atq; Schradini literis etiam Blaurerus hac ipsa de causa interpellatus est, apud quem delatus per invidiose Toffanus potissimum fuerat. De eventu Comitiorum aliquid spei fuit, sed, quantum intelligo, artibus suspensus in ventum abiit. Interea tamen aliquor boni animos sumpserunt, ad aperiendum ostium Evangelii Christo, quod clausum haecenus fuerat. Sic enim quidam apud Suecos Comes & Nobilis prope Memmingam fecisse dicitur: quo etiam confrater noster Valentinus Boltz, his diebus vocatus concedit, ut in pagis aliquot Christum doceat, eoque nomine à Nostro Magistratu missionem facile per intercessionem Domini ejus loci impetravit. Sed jam vale, cum ux. D. Ludovico, & Symmistis atq; Professoribus, quos cupio meis verbis reverenter salutes. Basil. 27. Augusti Ao. 1555.

T. Sulcerus.

*Salutant te mei Symmysta amanter omnes & Academia  
nostra Proceres.*

XXX.

**S** Ottomannus hic, vir clarissimus doctrina & pietate ad vos cum suis concedit, quem gaudeo civitate donatum, quia constantis fidei & synceritatis indicia ab annis jam octo, quibus mihi notus est, egregia dedit, ut sperem deinceps etiam bonis omnibus sese adprobaturum. Comendarem ergo eum tibi pluribus, nisi tua sponte erga illum te per singularem benevolentiam ferri, abunde scirem, ut qui nuper etiam liberaliter declarasti, quam veræ charitatis visceribus illum complexus sis. Literas tuas cum desiderio exspecto, quibus de spe vestra edocear. Nam de Comitiorum eventu alii aliter scribunt, & nescio quid de novo consilio ab Evangelicis ordinibus suscipiendo augurantur quidam. Tu si quid habes quæso comunica, sed & de valetudine D. Ludovici Rabi, quam adversam nonnihil cum dolore nuper acceperam, eoque nomine Christum precor, ut Ecclesiæ restituatur misericorditer. Salvum illum jube meis verbis amanter & reverenter unà cum reliquis fratribus. Vale Basil. prid. Cal. Octobris Anno 1555.

Tuus

Simon Sulcerus.